



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XX. De Philippi Imperatoris Religione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XX.

DE

Philippi Imperatoris Religione.

MArcus Julius Philippus, Traconites, Bostris, Arabiæ urbe (quidquid Aventinus Pannonium velic) obscuris parentibus natus: sed à re militari perquam illustris, circa annum æræ vulgaris CCXLIV. Prætorii Præfectus Gordianum, Imperatorem egregium, à quo jam fuerat in Imperii collegam assumptus, perfidè trucidavit; eaque arte, tunc plurimum usitata, Imperii fasces solus obtinuit, quando à triumphante exercitu Imperator proclamatus, ad Senatum Rom. hac de re literas dedit, atque à Patribus Augustus declaratus fuit. De hoc Imperatore variant eruditorum opiniones, Ethnicusne fuerit, an Christianus. Integra fide Christo nomen dedisse, adèque omnium Imperatorum primum vera Religione imbutum, ex posterioribus Scriptoribus tuerentur Nicephorus Calixtus, Cuspinianus, Gobelinus Persona, Philip. Bergomensis, M. Antonius Sabellius, Card. Baronius, Binus, Genebrardus, Pet. Opmerus, novissimè Tillemontius, Nat. Alexander, Petrus

Daniel Huetius, operosè P. De La Faye in *Dissert.* qui passim ita ratiocinantur.

I. Veteres omnes, Philippo Imperatori suppare, eidem Christianismum adscribant; de quo Eusebius Cæsariensis *Lib. 6. Hist. Eccl. cap. 27.* hæc scribit. *Fama est ipsum (Christianus namque erat) cum precationum in die postrema vigilia Paschali, una cum multitudine in Ecclesia pariter fieri vellet, non prius ab Episcopo, qui tum Ecclesia præerat, permissum esse intrare, quam se confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, licumque pœnitentiam agentibus præstitum occupabant, se sua sponte collocavisset: Episcopumque dixisse, cum hand alta conditio, nisi illud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admissa, aliquando ab ipso in Ecclesiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo & lubenti Episcopo merem gessisse & ingenuam modestiam ac religiosam piæque affectionem, Dei timore incitatam re ipsa declarasse memorant.*

Hæc Eusebius; apud quem Dionysius Alexan-

Alexandrinus *Lib. 7. cap. 10.* De Valeriano ait. *Ne illi quidem ipsi, qui palam Christiani dicuntur, tanta humanitate & benevolentia nostros complexi sunt: quo sanè Philippum cum filio, quem consortem imperii assumpservat, subindicari dubium nullum esse potest.* Eundem Imperatorem insinuat Chrysolomus, quando *Orat. in Gent.* affirmat, cujus nomen ignorabat, Imperatorem ab ingressu templi repulsum à Babyla Episcopo. Ubi tamen videtur Philippum cum Decio confundere. Fuit interim Imperator ille inter Christianos recensitus, quod de solo Philippo tunc dici poterat. Difertius Philippum orthodoxum asseverat S. Hieronymus de Origene scribens. *Exstat ejus Epistola ad Imperatorem ipsum Philippum, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit.* Qui sæculis V. VI. & seqq. floruerunt Scriptores aliojus nominis, illud ipsum ferme omnes perhibuerunt. Ut Vincentius-Lyrinensis, Orosius, Cassiodorus, Isidorus Hispal. Beda, Freulphus, Paulus Warnefridus, Haymo Halberst. Author Chronici Alexandrini Ado Viennensis, Rhegino, Herm. Contractus, Georgius Sincellus, Zonaras, Metellus Tegenensis, Otto Frising. & alii, quos citat & sequitur Joannes Champinus Romanus, Magister Brevium in *Sacr. Historic. Inquis. de 2. Emblematis*, Romæ, An. 1691. edita.

II. In actis Pontii Martyris legitur, quod is sua mellitina prædicatione Imperatorem Philippum, cui familiariter notus erat, & intimus illius amicus, ad fidem Christianam converterit; quod Fabianus, Pontifex Maximus, Sacro Baptismatis fonte Augustum abluerit. Idem Martyrologium Romanum confirmat, jussu Gregorii XIII. editum, in quo die 14. Maji legitur. *In Gallia S. Pontii Martyris, cujus predicatione & industria postquam duo Philippi Cæsares ad fidem Christi conversi sunt, ipse sub Valeriano & Gallieno Martyris palmam adeptus est.* Atque ex

hac Philippi facta Ethnicismi abrenuntiatione, prudens oritur conjectura; quæ, secundum Ciceronem *L. T. de Divin* est directio quædam rationis ad veritatem, Decium, quem alias minimè ambiciosum aut sceleribus obnoxium Scriptores tradunt, occasionem sumpsisse Philippum occidendi, & dirissimam in Christianos persecutionem excitandi, quatenus ira deos, quorum cultui superstitiosè deditus erat, placare videretur. Quare Hieronymus in Origene. *Crudelitas, inquit, persecutionis adversus Christianos insurrexit: eo quod in Philippi religionem desaviret Decius.*

III. Origenes ad Philippum Imperatorem ejusque conjugem Martiam Acilian, seu, ut in antiquis nummis legitur, Otacilian severam Epistolas scripsit, teste Eusebio, *Loc. sup. cit. cap. 29.* quas quidem Scaliger majori ausu, quam judicio, nunquam à se visas, dicit commentitias, cum eas suo tempore extitisse memoret S. Hieronymus *Lib. de Script. Eccles. cap. 54.* Ipsas sæculo XI. adhuc conservatas, ex Metello colligitur. Quod verò idem Ecclesiæ Doctor addat, & ad matrem Philippi Origenem literas dedisse; si non intelligat matrem Philippi junioris, memoriâ fuit lapsus, quem secutus fuit Baronius in *Annal.* propterea notatus ab æmulo suo perpetuo, Neoterico Scriptore *Mart. l. 5. Ep. 29.*

Rubiginoso cuncta dente, qui rodit.

Ejusdem Epistolæ, ad Imperatorem ab Origene exaratae meminerunt Vincentius Lyrinensis, & alii Veteres. Causa autem scribendi non alia præsumi potest, quam religionis & fidei promovendæ. Qua itidem de causa Mammæam Alexandri Severi matrem Origenes, ab ipsa accersitus convenerat. *Nec enim abest a fide, ex eo jam tempore, quo in Arabia fuerat Origenes plurimum ibidem celebratus notum Philippo, utpote*

Aa 3

Arabi

Arabi ex Bostris nato, exiisse, (ait Halloix in vita Origen. Lib. 1. cap. 18.) . . . quippe sperabat Origenes Philippum Imperatorem, ejusque filium, siquidem longior vita ipsis superpeteret, non modo fidem propalam professuros (a quare non multum abhorrebant) sed etiam quantum possent, propagaturos. At prius illud quidem divinitus concessum tradunt Auctores nonnulli, posterius autem mors propinqua invidis. Atque ex his aliud desumitur; scilicet quod Senatus Romanus in electionem Philippi difficulter, & nonnisi post mortem Marci & Severi Hostiliani, consenserit. Non tam quod odisset Gordiani interfectorem (cur enim Othonem, Vespasianum, Severum, Maximum, Dioclerianum, ejusdem criminis reos, Imperii habenas capescere permisissent Patres?) sed quod fortasse à Christiano Principe Sacra sua eversum iri, non absque ratione metuerent.

IV. Indicia non levia Christianæ Religionis in Philippo profert Baronius ad an. Christi 246. correctam scilicet garrulorum Poetarum linguam; usum virilis Scorti remotum, aliaque ab eodem Imperatore piè sanctæque statuta, quæ exciderunt. Huc facit quod Philippus filius, ut Author est Aurelius Victor, Agelastus, Severi & tristis animi fuerit, sic fortassis à Severa matre, Christiana foemina moribus informatus; qui, sicut Le Moyne Variar. Sacr. p. 1110. conjicit, à matre vel Avia audivit, Christum in teris nunquam visum sibi permansisse. Neque nullius poterit esse momenti ratio, quæ à tam pacato statu, quem, Philippo regnante, res Christiana obrinuerant, desumitur. Accedit quod Imperator Philippus annum Urbis millesimum, institutis ludis sæcularibus, cum maxima solemnitate celebraverit, munera quædam tradiderit, Sacrificia verò nulla adjecisse legatur: quod Orosius adverte rit his verbis. *Philippum Capitolium ascendisse & Sacrificia immolasse nullus Author*

scribit. Atque hanc plures conjiciunt estimationem cur Zosimus Ethnicus Historicus Lib. 1. cap. 5. Ludos, à Philippo factos, silentio præterierit, ratus, absque Sacrificiis celebratos indignos esse, qui memoriæ prodirentur. Argumento denique esse possunt nummi, illo tempore cusi. Unus est Philippi Patris, cum columna stante, quæ firmitatem Imperii designat, præferens imaginem. Alter Philippi filii virgâ monstrans aditum templi cum inscriptione *Millemarium sæculum.* Quo indicatur, quod millesimus annus Urbis conditæ non idolis; sed Christo consecratur, quemadmodum ex Treculphi Chronico refert Genebrardus. Ne in se lè dici autumat Baronius, Imperatorem Philippum cum novo sæculo novam Religionem. Id est, Christianam introduxisse. Suffragatur imprimis Antiquarius exercitissimus Hubertus Golzius in Icon. Imperat. ubi ad Philippi nummum addit, hæc fuisse prima inter omnes Cæsares numismata, quæ fidem Christianam professi sunt publicè, & hinc Decium interfecisse Christianissimum Imperatorem, ut Christianis esset formidulus. Item Campini loc. cit. exhibet numisma Apameæ inventum, in quo extat imago Philippi ex adverso arca, cui subscriptum *Nov* quod creditur ab eadem civitate cusum in contestationem communis lætitiæ, ex Philippi Baptismo conceptæ. Visitur quoque in fragmento quodam adolescens, vestitus Romano, gestans librum, à cujus utroque latere stella cum inscriptione. *A. Sæculari. Benedicite Pier.* quam figuram Author centet impressam pedi calicis vitrei Episcopo consepulti, adolescentem referre Christum, potigentem Librum Evangeliorum, stellas illius foelicitatem exprimere. Inscriptione significari, Benedictum devotum Jesum Philippo, cymbam Ecclesiam indicare, qua salvetur. *A. Sæculare* indicare incisum canticum Philippus ludos sæculares celebraret.

Porro fatendum est multum antiquitatis, id, de Philippo, traditionis tibi vindicare, nec inertibus plane niti rationibus: quarum tamen vis non extorquet à quibusdam modernis Criticis, ut in animum inducant Philippum Christianæ Religionis nomen dedisse: quin Scaliger, Jul. Pomponius lætus, Joannes Baptista Ignatius, aliique bene multi contrarium suis argumentis evincere conantur; qui ad summum concedi posse volunt, quod homo, punica fraude deterior, ut scelera reget, cultum Christiani nominis aliquando simulaverit.

I. Veneranda antiquitas hanc veræ fidei dotem, præ cæteris Imperatoribus, vult illibatam esse Constantino Magno. Lactantius, qui, imperante Philippo, lucem aspexisse videtur, Constantinum sic affatur. *Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus Constantine Imperator maxime, qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, Majestatem Dei singularis ac veri cognovisti & honorasti.* Illud ipsum verbis disertissimis testatur Euseb. *Lib. 4. vit. Constant. Et sane ex omni omnium Imperatorum memoria solus Constantinus in Christi Martyris renatus, & Sacris initiatus est, divinoque Sigillo dotatus, & Spiritu latitiam concipiens, prorsusque novus redditus ac divina oppletus luce per immensitatem fidei incredibiliter quidem animo gestiebat: sed ad clarissimam & evidentissimam vim divine Majestatis obstupescibat.* Suffragatur apertissime sanctus Ambrosius. *serm. 24. Constantinus, quia primus Imperator credidit, magni meriti locum reperit.* Accedat testimonium Sev. Sulpitii. *Tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus Romanorum Principum Christianus fuit.* Aut igitur Philippus Romanus Imperator non fuit, aut Christianus nunquam exiit; aut falsum, quod Scriptores illi retulerunt, censeari debet: quorum verba inatibus interpretationis in alium sensum torquere, vanus est labor.

II. Fuit Philippo ingenium ferox, crudele, perfidum, indolesque omnino perversa; in quo nihil Christiani, nullum veræ Religionis fuit relictum monumentum, quo posteri notarent, aut prudenter credere possent, ipsum, relictis gentilitatis erroribus, in Christum, fidei fundamentum, credidisse. In non exiguum primitivæ Ecclesiæ opprobrium & subannationem profecto cederet; si statuatur putridum illud membrum, & infamam patricidam, fuisse Sanctæ communitati incorporatum, de quo nihil Eutropius, Victor Capitolinus, Zosimus, aliive Gentiles. Julianus etiam Apostata, tam iniquus suorum prædecessorum Censor, citra dubium contra Philippum bilem evomisset; si Religionis Christianæ, quam ipse ejuraverat, & tantopere detestabatur, additum fuisse cognovisset.

III. Dum Philippus Ludos sæculares in Millenario Urbis conditæ constituisset celebrari, ipsemet, ut Zosimus Author est, *Lib. 1. cap. 5.* Agnos immolare solebat Jovi, Junoni, Cereri Parcis &c. quod à Christiano factum, nemo credere potest. In quorundam opinione Philippi conversio postponitur quidem ludis sæcularibus, hanc tamen suis asseri difficultatibus ex infra dicendis patebit. Philippum, non ea, quæ Christiani nominis sunt apte sectarum, ex iis, quæ Gentiles produunt evidentissimum apparet, Paganismum evincunt numismata tunc cusa. Inter hæc unum erat, in quo Imperator, Scripturam manu tenens, versus templum Palatinum respiciens, visitur. In alio extat Martis figura cum hac Epigraphæ. *Marti Conservatori.* Extant adhuc in antiquariorum mutæis nummi alii. In unius antica videtur caput Philippi eum stadiis, in postica Jupiter, dextrâ fulmen, sinistra hastam tenens, cum inscriptione. *Jovi Conservatori; Philippo Cos. III.*

Si quid nervorum in argumentis pro Philippi Imperatoris Orthodoxia insit, hos facile

se incidere posse autumant, qui eundem totius vitæ tempore Paganum fuisse contendunt.

Ad Primum Respondetur quod Eusebius fallaci formâ afflatus ea de Philippo scripserit, unde illa sequentes, sine ulteriori detectu, aut diligenti veritatis inquisitione, sumpturunt, & chartis illeverunt, quæ à veritate sunt aliena; quæque ut certissima posteris incautè exceperunt & recentiores propugnârunt, quorum aliqui vix pensi habent, quod scribant. Ipsum Eusebium rumori incerto, quem Cicero *famil. 12. 10.* vocat Acephalum, fidem non adstrinxisse, evidens est ex iis, quæ de Constantino Magno *loc. cit.* dissejuit. Sunt, qui famam mendacem sese divulgasse in auras credunt: quod Gentiles de Philippo malevolè sparserint Christianam Religionem professum, quatenus inde fideles confunderent, quibus probum videri poterat, quod hominem improbum famosumque parricidam loco fratris, & suæ Communionis haberent confortem. Sed quæri posset; Ecur Caligulam, Neronem, Caracallam, Heliogabalum, homines perditissimos Christianorum albo eundem in finem non inseruerint.

Ad Secundum Respondetur quod acta Pontii sint corrupta & fabulosa multumque inter se diversa, quæ Laurentius Surius *tom. 7. & ca.* quæ Mombritius *tom. 2.* deinde Stephanus Baluzius *Miscell. tom. 11.* ediderunt. Quibus, quantum sit tribuendum, indicat ipse Baronius, observante Petavio *Rat. tempor. lib. 11. cap. 25.* Ex his actis fœnerata sunt, quæ in Martyrologio Rom. die 14. Maji leguntur. Alia insuper nulla authentica extant de Philippi conversione, aut collato per Fabianum baptismo monumenta. Sub hoc Pontifice Philippum egisse penitentiam, Author est Paulus Diaconus, repulsum ab ingressu Ecclesiæ ab eodem Fabiano vult Baronius, quod Leontius, Chrysostomus & alii patres cuidam Babylæ Antio-

cheno tribuunt. Quæ omnia rem totam suspectam reddunt. Quemadmodum enim *vera historiae indicium est, si de iisdem omnibus eadem dicunt atque conscribant*; iudice Flavio Josepho *Lib. 1. cont. Appion*, ita, Seneca notante *Epist. 11. nunquam falsis constantia est; variantur & dissident.* Gazas Imperii Philippum Fabiano Papæ tradidisse, & ideo Decii iussu interfectum, ut Joannes Maireus, Sabellicus &c. comminiscuntur; nullus antiquorum historicorum tradidit. Falsum quoque, quod apud citatum Surius habetur, Eugentiam Martyrem Imperatoris Philippi fuisse filiam; cuius pater fuit Philippus alius, Præfectus scilicet Ægypti, unde erroris occasio, sicut observat Zonaras *Lib. 12.* Refertur quoque in illis actis, quod Pontius Imperatori Philippo filioque adhuc gentilibus mysterium Sanctissimæ Trinitatis explicaverit, quod disciplinæ illo sæculo usitata non convenit si fides habenda Schelstratio, qui in *Antiq. Eccles. illustrat.* proinde acta in dubium revocat: quæ tamen non omnino non rejicienda tum ipse, tum alii eruditi quidam opinantur; quandoquidem in iis quidam legantur, quæ vel ex genuinis Pontii actis, vel ex aliis monumentis Antiquis hausta sunt: inter quæ meritò recensenda putantur quæ de Philippi Imperatoris Christianissimæ narratur: licet fortè circumstantiæ reliquæ ad rem minimè facientes falsis adnumerari debeant. Quod ex conjectura obtulit, Decium occidisse Philippum; quia Sacris Christianis addictus esset; stupeum est argumentum. Magna quandoque tribuitur conjecturis libertas; sed rationum monumentis magis aut minus probabiles eas reddi non sentiantur.

Ad Tertium Respondetur, quod de argumentis istarum Epistolarum nihil certi constet, neque verisimile sit, quod conversionem Philippi, filii & uxoris spectârunt, si illa, quæ de responsione Origenis ad Celsum dicta sunt, perpendantur. Deinde etiam Origenis

Origenes illas literas exarasset; quod tamen aliqui, non omnino incongruè, inficiantur, in quibus de Religione tractasset; inde tamen minimè inferre licet, Imperatorem fuisse certò Christianum. Adriano, Antonio, aliisque Imperatoribus Ethnicis Epistolas, seu Libellos de Religione Christiana frequenter exhibitos, liquet ex Eusebio, aliorumque antiquorum monumentis, qui tamen Orthodoxam fidem usque in finem vitæ detestati fuere.

Huic equidem retorsioni occurrunt quidam, voluntque viros illos id fecisse, ut vel eruditos Principes oblectarent, vel Christianis infensos placarent: neutra verò de causa Origenem ad Philippum planè indoctum, & Christianis nullo modo infestum scribere potuisse.

Ad Quartum Respondetur, quod Philippus edicto cohibuerit, garrulorum Poetarum procacem linguam, lascivosque calamos, nec non usum virilis scorti removerit, non magis probant Christianum fuisse, quam Platonem & Domitianum veram amplexos Religionem, quorum hic Poetas proscripsit, quod & Lacones fecerunt apud Plutar. in *Laco*, alter adulteros & Vestalium stupratores. Item Scatinus lege lata praposteræ Veneris usum coercuit, unde Lex Scatineæ de qua Juven. *Satyr.* 2. Frustra itaque in his legibus Philippi Christianismus quaeritur, quem extispicum, ut quondam Accius, antiquissimus tragediarum, Scriptor, in *Medea* loquebatur, ex prodigiis congruens ars arguebat: aliàs ex deprehensis in Sue genitalibus femineis imminere grande malum universo Imperio nequitiam credidisset. Fuit eidem Imperatori filius ab anno ætatis quinto, ut historici observant, ex naturali temperamento à facetiis, & jocis averstus. An ideo ipse aut Pater ejus Christianus censendus? Morositas, agrestis asperitas, vultus torvus aut truculentus non est character Christianismi, qui animum liberalem, fron-

tem exporrectam, jocositatem, eutrapeliæ conjunctam non adversatur. Quod si filii hujus vultuosa frons, ut apud Apuleium 3. *Metamorph.* legitur, argumento sit, ejurasse numina; Patris cachinnatio, quam filius, averfa, ut ferunt, facie, notavit, indicio esse posset, Christianum non fuisse. Mille-simum Urbis annum, non Christo, sed deastris consecrassè, oblati solemniter in Capitolio hostiis, tum ex dictis supra, tum ex Zosimo, aliisque compertum est. Quod si verum ab Aurel. Victore in *Epist.* 1. relatum, Philippum omnium gentium ludos celebrasse, nulli autem ludi, testibus Tertulliano & Cypriano, absque Sacrificio peracti sint; consequens est Philippum diis immolasse. Ex numismatibus exiguum veræ Religionis ipsi obvenit præsidium. Extant siquidem, quæ ejusdem Paganismum apertè evincunt, Ciampinus solâ haruspicinâ fretus in explicatione horum emblematum, quæ adfert, majori confidentia, quàm dexteritate conjectat. In primo enim non apparet, quæ convenientia *Noe* cum Baptismo. In altero ne quidem nomen Imperatoris extat; & exegeticum est exoticum: possentque figuræ aliis æquè Imperatoribus, qui ludos sæculares celebrârunt, applicari. Eâdem aberrasse chordâ videtur Gabriel Bucelinus in *Nucl. Hist. Univ. ad annum Christi 251.* quo primùm Philippum Patrem cum filio vult Christo nomen dedisse; idque liquere putat ex inscriptionibus, in quibus *Numinis Majestatisque* omissi tituli. Huic etenim contrariantur, qui annum illum Decii tertium fuisse & Philippum Anno 249. Veronæ, cæso exercitu occubuisse asserunt; neque diu post, filius duodennis, apud castra prætoria, trucidatus refertur. Quod quidem Baronius, Eusebium secutus, in annum sequentem extendit. Itaque incertum ad minus est, si non à vero alienum, anno illo Philippum Religionem suscepisse Christianam, Falsum autem esse, quod tituli & præfatio-

nes honoris sint omitti ex Eutropio habetur ; qui refert , quod uterque Philippus solemnī Apothēoti fuerit canonizatus , & inter divos relatus. Hæc verò ante prætenfam conversionem cusa , tam facilè negatur , quàm asseritur. Sunt , qui contendunt Imperatores alios , etiam Christianos , assumpto titulo Summi Pontificis , celebrasse ludos sæculares : verùm hos inanibus dæmonstris tunc sacrificasse ; ne unius quidem testificatione Scriptoris probari poterit ; quod tamen Philippum fecisse variū prodiderunt. Eundem , exorta seditione à triumphante Decii exercitu cum suis prostratum novimus : quod ob veræ Religionis cultum sanguinem fuderit , juxta scimus cum ignatissimis. Summum ergo , quod hac in parte Philippo concedi posse videtur , foret Christianismi larvâ ; sic , ut Imperator factus , abditos sensus gerens , animoque pulchram turbido faciem inducens , ut Seneca alicubi loquitur , scelera tegeter immania.

Per S. Sat. 5.

*Astutam rapido servans sub pectore
vulpem*

Verùm enim vero hanc restrictionem injuriosam ducunt , qui Philippo sincerum non minus , quàm publicum Religionis cultum adstruunt , quod partim ex rationibus in medium productis , nec usquequaque dissolutis , tum ex responsionibus , ad argumenta , in oppositum formata , ostendere satagunt.

Ad Primum Respondetur Lactantium Eusebium , Ambrosium & Sulpitium intelligendos esse Constantinum Magnum primum Imperatorem Christianum , excepto Philippo , qui haud diu post conversionem suam superstes fuit. Ita Orosius & Friculphus , sed cum horum inane glossema ab omnibus rejiciatur , alii cum Illustrissimo

Huetio respondent , quod Philippus Sacra Christiana occultis , & insciis Ethnicis professus fuerit ; quodque à Fabiano Pontifice clanculariò Baptismum receperit , ne alia detrimentum maximum res suæ caperent : cui concinit Alexander Hist. Eccles. Sac. 3. scribens. *Ratio erat occultanda Eusebii sua Religio , ut vita sua atque Imperii consuleret.*

Libet hinc , pace virorum eruditissimorum cum Martiali exclamare ! O quantum cogit egestas ! Nesciebat sanè illius ævi simplicitas hanc perverfam politiam , nec ferè rigida sæculi disciplina Religionis hujusmodi dissimulationem , quàm si usurpassent Ecclesiæ antistites , aliique viri celebres , quorum ope fidelium cætus tantopere indigebat , de tam numeroso non posset gloriari Martiarum exercitū. Non solùm ipsi sacrificati , ut vocabantur , qui fide dissimulata , metu mortis externum idolis præbuerant aliquod honoris specimen , in Ecclesiam , non in gravissimâ & publicâ pœnitentiâ peractâ admittentur : sed nequidem *Libellatici* , qui à Præside avaro vel benigno libellos emporibus , quasi numinibus sacrificassent , ab delibus tolerabantur in Communione : licet eorum manus pura , & ora feralis cibi contagia nulla polluisent. Nullam igitur veram speciem sortietur , quod Episcopi Cryptici Christianismum Philippi passis fuissent , qui aliàs gentiliter vivens , omnibus persuadebat , se idololatram agere.

Et quis crederet Imperatorem publicam pœnitentiã egisse ; à Fabiano tolerante baptizatum , & oculum nihilominus Christianum permanisse ? utique calvus comatus , quomodo Martialis vocat dissimulatorem , à S. P. Q. R. deprehensus fuisset.

Majorem probabilitatem sibi vindicare videretur eorum opinio , qui ex veterum sententia Constantino Magno primogenitum

ram in Christo concedunt : non quidem , quod ante alios omnes primus Christo nomen dederit præ cæteris suis prædecessoribus : sed quod Religioni Christianæ tanta munificentia , & fortitudine patrocinatus fuerit , quàm ante eum nemo Augustorum omnium. Sic enim , ajunt , usus obtinuit , ut rei collapsæ restaurator , dogmativæ reformator , vertente tempore neglecti institutor , primi conditoris ac Authoris nomine venire soleat : quod tam aliis , tum imprimis Constantini Magni exemplo probatur : qui Christianorum Imperator primus vulgò vocatur ; licet eandem Religionem Chlorus quoque Magni Constantini parens , in plurimorum opinione , publicè professus fuerit. Atque hoc sensu volunt intelligi debere Eusebium ; ne aliàs sibi manifestè contrarietur. Neque officere putant locum Eusebii de Constantino primò inter Imperatores baptizato : fortè enim Philippus morte præventus baptismum non recepit , quem multi Christianorum , ex more illius ævi , ad extrema tempora vitæ differre solebant. Quo interpretamento de culmine ruit ex actis Pontii desumpta traditio , quod Philippus baptismum à Fabiano Papa receperit.

Ad Secundum Respondetur. Fuerit Philippus ingenii admodum ferocis , sint in eo notati mores scabri , indolentes valdeque inconcinni , quæ res in Rectore Reipublicæ est prorsus metuenda ac formidabilis ; hæc tamen per se non obstant , quin vera fide imbutus Christianum ageret : siquidem ex historiis , tum sacris , tum profanis constat , fuisse Reges & Principes feroces & sanguinarios , quorum tamen fides permanit integra : neque enim fides ex moribus metienda. Nullum Religionis Christianæ Philippus reliquerit monumentum ; fortè illud fuit obliteratum. *Nihil est opere aut manu factum , quod aliquando non conficiat & consumat vetustas* ait Cicero *pro Marcell.* Fortè,

morte præveniente , non fuit monumentum perfectum. Quæ in Philippo observantur vitia , in aliis quoque Imperatoribus Christianis notata fuerunt. Constat ex Eusebio Constantini Magni factum sibi & Ecclesiæ indecorum. Veteres Philippi Christianismum non referant ; id adscribendum partim brevitatæ studio , partim politicorum hominum genio. Julianus Philippo pepercit , ob breve tempus , quo rexit , qua etiam de causa intactos reliquit Imperatores , Severo & Gallieno interjectos. Deinde ; ut Capitolinus prodit , impiè non jure obtinuerat Imperium ; adeòque indignus habebatur , qui inter Augustos recenseretur.

Ad Tertium Respondetur , quod Philippus , ut Imperium malè partum firmaret , Gentiliumque indignationem à se averteret , Anno millesimo urbis conditæ ludos sæculares instituerit : ex Eusebio tamen patet , quod bestiarum non fuerint immolatæ ; sed duntaxat mactatæ : quod ex Catalogo istarum bestiarum à Capitolino in *Gordiano* relato , fit clarum , cum tales nunquam fuerint solitæ immolari : sed oves potius , capræ , boves , Gallinæ , anseres , porcæ imptimis ; id , quod ex Francisci Angeloni *Hist. August.* Antiquis numismatibus illustrata , videre est. Et , si sacrificia forsan accesserint , non fuit Philippus in fide ac vera Religione satis instructus. Sunt , ut supra insinuatum , qui nonnisi post ludos sæculares lavacrum regenerationis Philippo attribuunt , inter quos Antonius Pagius ; & Ciampini in actis Pontii legit , quod Imperator ludos sæculares instituerit , ut idolis sacrificaret : meliora autem edoctus , declinaverit sacrificia & spectacula , paulò post sacris ablutus undis.

At Philippus post annum Urbis millesimum in Orientem non migravit , quomodo ergo ibidem in fide instructus , aut postea à Babylæ repulsam passus ? Utique hæc Reli-

Religionis mutatio venisset in notitiam Scriptorum Ethnicorum, quorum tamen nullus, vel verbo, suspicionem injicit deserti Paganismi. Porro argumentorum solutiones, quibus Philippi stabilitur orthodoxia, propugnatoribus videntur insufficientes, & contra eandem instant: quod quidem Eusebius fama nitatur testimonio; non quo ad Christianismum Philippi (de hoc enim ex Epistolis Origenis, aliisque factis liquidò constabat) sed quo ad historiam illam de repulso in Vigilia Paschatis, id quod exemplo elucidare volunt. Si quis dicat Paulum fuisse Doctorem Gentium, famamque ferre, quod literas ad Senecam scripserit: hic de Pauli Apostolatu, aut missione ad Gentes se dubitare minimè asserit: sed tantum de literis ad Senecam exaratis. Fama autem, ad quam Eusebius provocat, argumento est, reminem illo tempore in dubium vocasse, quod Philippus Christianam Religionem amplexus fuerit, præsertim cum vix 70. anni effluxissent, dum hoc contigerat, potuerintque oculati testes adhuc fuisse superstites.

At hæc propugnantium, & instantium distinctio, seu exceptio nihil valebit in ea sententia, quam quidam sustinent; nimirum Eusebium fuisse deceptum ex identitate nominis, & Philippum Imperatorem confudisse cum Philippo Eparcho seu Præfecto Ægypti, qui Christianam Religionem professus fuerat: quique, ut Baronius observat, se Augustalem nominavit: quamquam alii Scriptores contradicant, velintque, Tacianum sæculo IV. Ægypti Præfectum hoc nomen primo usurpasse.

Quod Ethnici Scriptores Philippi Christianismum silentio præterierint, id factum censent, qui hunc in eo admittunt, quod Imperator tempori serviens, quod semper sapientis habitum est, teste Cicero *Mar. Fam.* charadriam imitans quod animo gerebat caute occultaverit. Excommunicatio-

nis autem iidem Scriptores non meminisse putantur, quod Antiochiæ, quæ civitas multum Roma distabat, ea facta sit, proinde ad eorum notitiam non pervenerit. Ad quomodo Orthodoxæ fidei & disciplinæ Ecclesiasticæ ab illorum temporum Præfibus tam rigidè observatæ, conveniat, nemo facile comprehendet, qui novit sine immenso Sacrilegio non potuisse dispensatores majorum Dei homini idololatræ sine prævia inquisitione Sacramenta impertiri.

Acta Pontii, si interpolata sunt, major ex parte sincera & genuina ab iisdem assertoribus Christianismi dignoscuntur, quæ in antiquissimis codicibus extant: quorum integritati nequaquam obstare arbitrantur, quod hinc inde in quibusdam minutis, & ad rem non pertinentibus, paululum varient. Quali verò acta apertissimè falsitatis obita argumentis, si lituram subierint, desinant esse suspecta, atque vera ex falsis, genuina ex nothis fiant, quod revera nulla unquam spongia, nullus pumex præstat. Quæ Baronius inde rejicienda duxit, eam omnibus manuscriptis, quæ Baluzius diligentissimè perlustravit, extare perhibet. Denique Origenis literæ, cum hodie non extant, sicut in materia Religionis esse exaratas gratis asseritur, sic id ipsum immerito negatur: manent ergo ficulneum asserti Christianismi sublicium. Neque valida est illud: Philippum ob indultum falsorum numinum cultum, quem prohibere nequiverat, aliasque virtutes morales, Senatus decreto inter Divos relatam. Nemo enim Ethnicorum ritu, post mortem fuit deificatus, nisi deorum cultor fuisset eximius, ut legere est apud Herodianum *Lib. 4.*

Atque sic causa, de Philippi Imperatoris Religione videri possit integrè disceptata: Nihilominus Lector æquanimus rectè censebit, quod in sententiis sit relinquenda; conformiter *Cap. Grave 11. q. 3. Re existente dubia non est danda certa sententia.* Licet enim

enim Scepticismus dudum fuerit profligatus, atque Pyrrhi stolidum dogma, de omnium rerum incertitudine explosum; licet enim Protagoræ insulsum opinamentum, de omni re in quamcunque partem posse ex æquo disputari, nullum apud prudentes locum reperiat: manet equidem certum, varia in Historicis reperiri problemata, quale esse, quæ de Philippi Religione agitur Controversia nemo inficiabitur, qui testimonia & conjecturas hac de re observabit; subjungetque quod olim iudices in causis ambiguis scribebant N.L. Id est. Non liquet. Si quis interim decisivam ejusdem Controversiæ urgere vellet expeditionem, talis amandus erit ad Isidori Pelus. Epistolam 97. ubi leget. *Illud fortasse ignoras, id, quod dubitatio-*

nem habet, alia dubitatione minimè dissolvi; verùm nos ab iis rebus, quæ in confesso sunt, Controversiarum solutionem querere solere.



Bb 3

CON-